

Fallacia Accidentis fit, quum id rei per se tribuitur, quod per Accidens tantum ei competit. Hoc est, quum *minor* propositio *vera est tantum per Accidens*, & improprie. *Vel*, quum *medius terminus aliàs per se, aliàs per Accidens* prædicatur, ut: *Sol præstinguit aciem oculorum. Vinum rationem turbat &c.* Sol enim suâ naturâ illustrat, non occæcat: potest tamen fieri, ut aliquando, aut aliquibus visum impediat, non suâ naturâ, & per se, sed ex accidente, & ob malam dispositionem videntis.

Annotatio.

Quoties canon primus Antepredicamentalis violatur, toties hæc perpetratur fallacia. Itaq; Sophistæ se Regulâ istâ muniunt, quæ tamen accipienda est de Prædicatis essentialibus, non de Scheticis aut technicis.

EXEMPLA.

1. *Quicquid iram Dei operatur est malum,*

Lex iram Dei operatur, Rom. 4.

E, Lex est mala.

Resp.